

Werner von Harthausen

De. 94.

S 2-

3.

# ORATIO

## DE DISCRIMINE

### LEGVM POLITICA- RVM ET TRADITIONVM,

quæ in Ecclesia ab homi-  
nibus conduntur.



RECITATA A DE-  
CANO COLLEGII PHI-  
losophici Magistro Bartolomæo  
Lasano Cygneo, cùm decerneretur  
gradus Magisterij aliquot eru-  
ditis uiris Anno  
1556.

VITEBERGÆ

EX OFFICINA HAERE-  
DVM GEORGII  
RHAVV.

M. D. LVI.

Suo Chrytophoro Lucas Ho

Hierony: Kimmernus  
22

ORATIO

DE DISCIPLINA  
LEGVM POLITICARVM  
RVM ET TRADITIONVM  
quae in Ecclesia ab hominibus  
natus conduntur

RECITATA A DE  
CANONICO COLLEGIUM  
Iohanne Magistro Barchinensi  
Ludovico Cyano, cum decem  
gradu Magisteri ad hoc  
dies mens Anno

VITBERGA

DE OTTILIO A. HARE  
EVM GEORGI  
RHAU

1776  
1776  
1776



# ORATIO.



**P**incipio gratias ago Deo omnipotenti æternò Patri Domino nostro IESU Christi, qui una cum filio suo coæterno Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu suo sancto condidit omnes creaturas, & Ecclesiam in genere humano colligit, quòd nos quoq; ad Ecclesiæ societatem uocauit, & hæctenus clementer coetum docentium & discipulorum apud nos seruauit, & toto eum pectore oro, ut deinceps quoq; nos doceat & gubernet, nec sinat extinguì lucem doctrinæ.

næ. Cùm autem honeste & utili-  
liter institutum sit, ut de aliqua  
doctrinarum parte dicatur.  
Nam in congressibus docto-  
rum maximè decet primum so-  
nare laudes Dei, deinde & com-  
monefactiones utiles ad for-  
manda iudicia, & ad regendos  
mores, ego quoq; pauca dictu-  
rus sum. Quid fieri melius in  
humano genere potest, vera  
Dei celebratione, & doctrina-  
rum illustratione, & uirtutum  
exercitijs? in quibus Deus sese  
nobis cōmunicat, & filius Dei  
λόγος uere adest mentibus, &  
in eis lucem & uitam accendit.  
Optarim autem me posse ora-  
tionem adferre dignam hoc lo-  
co. Nec adeo ridiculè ineptus  
sum, ut existimem me posse de  
rebus

rebus magnis dicere, ut ipsarum rerum dignitas postulat. Nulla enim humana eloquentia exhaurire laudes Dei, & decus uirtutum potest. Sed hanc adolescentis Imperatoris Gratiani sententiam sequamur: Dicimus de Deo, non quantum debemus, sed quantum possu-mus, Sic tamen ut nostra oratio congruat ad uocem, quam ipse nobis tradidit. Oro igitur, ut boni consulatis qualemcunque hanc meam orationem, in qua argumentum afferro, non alienum à meo studio, uidelicet à ciuiliū legum doctrina, quod tamen eò sæpe repetendum est, ut in iunioribus alatur & confirmetur legum reuerentia. Dicam enim de hac quæstione.

A 3 Cum

Cum Paulus manifeste af-  
firmet uiolationem legum po-  
liticarum esse peccatum, quo  
conscientia à Deo auellitur, seu  
ut nominamus usitate, morta-  
le, cur non existimandum sit  
uiolationem traditionum, quas  
in Ecclesia pastores seu Episco-  
pi condunt, peccata esse.

De hoc discrimine legum  
erudiri homines necesse est. Et  
bono consilio sæpe harum max-  
imarum rerum commemora-  
tio repetitur. Ac prius dicam  
de priore parte, uidelicet de  
obedientia debita legibus poli-  
ticis. Multi omnibus temporibus  
quæsiuerunt ingenij laudē  
uituperatione legum. Apud  
Platonem inquit Hippias, Le-  
gem esse Tyrannum, quia uas  
gas



gas cupiditates hominū iubet  
frenari, & certas metas actio-  
num constituit. Cynici etiam  
rabiōsius locuti sunt, nihil tur-  
pe esse perpetua regula, sed tan-  
tum opinione alibi alias actio-  
nes receptas esse. Extant etiam  
Politiani uersus, qui cum nimi-  
um indulgeret cupiditatibus  
suis, legum odium his uersibus  
nec ueris nec eleganter factis  
ostendit.

*Inuentum Attei dicuntur iura Draconis,  
Vera est fama nimis, nil nisi uirus habent.*

Quod Attici dixerunt à  
Dracone leges ortas esse, hoc  
quoque allegorice dictum esse,  
propter Palladis Ægidem &  
poenas, existimo. Sed quæcun-  
que eius sermonis causa est, Po-  
litianus uenenate id dictum in-  
A 4 terpre-

terpretatur. Quid dicam de illis hominibus qui Ecclesiae uocem non audierant. Nostra ætas, cum purior Euangelij doctrina illuxit, quam multorum audiuit Tribunitios clamores, qui, ut lenissime dicam, reuerentiam legum ualde languescerunt. Anabaptistæ leges, magistratus, iudicia, palam improbant, quorum multa adeò tetra dicta & facta sunt, ut recitare nō libeat, Alij & fuerunt et sunt Antinomi, qui fingunt etiam contra conscientiam uiolantes legē Dei, tamen Deo placere. Non delector hac recitatione, quare sum breuior. Prodigia esse cogitamus, id est, signa horribilia denunciante iram Dei & communes  
pœ

poenas, terræ motus, Cometas,  
Traiectiones, fulmina, quæ totas  
sylvas & urbes incendunt.  
Sed lōge terribiliora signa sunt  
illæ diabolorum uoces, contumeliosæ  
contra legem Dei, &  
contra politicū ordinem. Hæc  
sæpe multumq; cogitans & fugiens  
hos furores, quæro uocem  
diuinam in Ecclesia, ut dictum  
est: Lucerna pedibus meis  
is uerbum tuum. Vbi recte  
nos erudiri de lege & de ordine  
politico agnosco, & lætor  
ueros fontes ostendi, ac uere  
hoc adfirmo, ualde confirmari  
in animo meo adfensionem &  
de prouidentia & de Ecclesia.  
Quod potest esse illustrius  
testimonium aduersus omnes  
Cyclopas & Epicureos, quàm hæc  
A s ipsa

ipfa noticia naturalis discernēs  
honestā & turpia in humanis  
mentibus, & turpitudinem pu-  
niens ingentibus terroribus.  
Est ergo Deus, qui hanc lucem  
nobis indidit, & hoc iudicium  
præfens immutabili iusticia sua  
exequitur. Deinde testimoni-  
um est de Ecclesia, hæc ipsa uox  
Legis. Impossibile est esse po-  
pulum Dei, ullos homines aut  
ullum agmen, quod palam abo-  
let ullam legem diuinam. Oma-  
nes Ethnici aliquas diuinas le-  
ges prorsus deleuerunt, & in so-  
la Ecclesia Dei mansit lex inte-  
gra, & sola Ecclesia ostendit,  
unde hæc sapientia transfusa sit  
in mentes hominum, unde sit  
contraria caligo, unde dissi-  
dium legis & cordis, quomodo  
regi

regi natura possit, quomodo  
Deus ordine politico inter se  
deuinxerit homines, quib. præ-  
sidijs societatem muniuerit.

Harum maximarum rerum  
doctrinam cum in sola Ecclesia  
disco, an non ualde gaudeam &  
confirmer, ut statuam uera esse  
quæ ibi traduntur, & in eo coe-  
tu quanquam ærumnoso, habi-  
tare Deum?

Legi, memini omnia Græ-  
corum et Latinorum scripta de  
legum dignitate & de imperijs,  
& sæpe cogito præcipuas om-  
nium sententias. Sed tamen nul-  
la uox talis usquam tradita est,  
quæ uinculum esset uniuersæ ci-  
uilis societatis, sicut hoc dictū:  
Necesse est obedire nō tantum  
propter iram, sed propter con-  
scientiæ

scientiam. Hoc præconio uos  
cantur in iudicium, non ad Re-  
gum & Principum tribunalia  
tantum, sed ad Deum uindicem  
omnes, qui petulanter leges po-  
liticas uiolant. Hæc sententia in  
animis mediocrium hominum  
firmior murus est Imperiorum,  
quam exercitus & arma, quæ  
Dionysius pater nominabat  
Adamantina regni præsidia.  
Longe plus est, diuina uoce  
mentes retineri.

Cogita autem fontes Pau-  
lini dicti: uox magistratus est  
primum lex naturæ, quæ est ip-  
sa lex Dei. Est autem iusticiæ  
Dei punire ruentes contra su-  
am legem, ut illa uere dicuntur:  
Deus ignis consumens est. Scis-  
o Domine quod nõ parcis de-  
linquens

linquenti, & illæ uoces Ethni-  
cæ, quas experientia compro-  
bavit, ἔχθ θεός ἐκδικοῦ ὄμμα, θεός οἶδε  
δικάζει. Item, οὐ γὰρ χέτλια ἔργα θεοῦ  
μακαρεῖς φιλέουσι. Deinde armauit  
Deus & magistratum potesta-  
te addendi quasdam leges, non  
quidem pugnantes cū natura-  
libus, sed circumstantiam ali-  
quam probabili ratione defini-  
entes. His legibus etiam Deus  
autoritatem in hoc Pauli dicto  
attribuit, et uult eas ualere pro-  
pter duas causas, propter Ma-  
gistratum diuinitus ordinatum  
& armatum certa potestate, &  
propter rationē probabilem.  
Hinc igitur scimus, quale uin-  
culum sint politicæ leges, quod  
scire in uita & propter gloriam  
Dei, & propter tranquillitatem  
no-

nostram vtilissimum est.

Hac doctrina de politicis legibus confirmati, postea consideremus κακοζηλίαν Pōtificiam, in qua sunt multi tetri errores. Finxerunt Pontifices se Regum similes esse, & regiam potestatem habere in condendis legibus. Et quidem scelerate detorquent huc dictum: Translato sacerdotio fit legis translatio. Iusserunt igitur idola coli, instituerunt ritus de cibis, celibatu, enumeratione delictorū, epitimijs, & alijs multis rebus. Harum legum uiolationem dicunt peccata esse, & cōstat has leges fuisse carnificinam conscientiarum, quæ non satis describi potest. Ac non multo ante Adrianus Pontifex, Caroli Impera-



peratoris præceptor edidit ma-  
gnum uolumen, quibus illas le-  
ges exasperat. Et dicta que dul-  
cissimam doctrinam & conso-  
lationem continent, transfert  
ad superstitionem & tyranni-  
dem: Qui uos audit, me audit.  
Item, Obedite præpositis ue-  
stris.

Pindarus inquit, *εὐώνυμον ἐς  
δίκην τρία ἔπεα ἑπαρκέσει.* In bona  
causa tria uerba sufficiunt. Fa-  
cilis, plana & perspicua est ex-  
plicatio in ueris causis. Contra  
uero *ὁ ἀδικῶν λόγῳ νοσῶν ἐν αὐτῷ  
φαρμάκῳ δέεται σοφῶν.* Breuissima  
igitur hæc est & uera responsio:  
Dicta illa de audiendis pasto-  
ribus, non constituunt eis re-  
gnum extra Euangelium. Præ-  
cepta sunt & consolationes, iu-  
bent,

bent, ut uocem à Deo traditam  
audiamus, & adfirmant Deum  
uoce docentium certo efficacem  
fore, perinde ac si palam  
nos ipse alloqueretur. Vult te  
statuere Deus, se adesse tui pas-  
toris uoci, ac efficacem esse, &  
te debere huic uoci assentiri,  
nec dubitare, quin hæc uere sit  
uoluntas Dei, quæ tibi propos-  
nitur ministri lingua. Hanc nec-  
cessariam & dulcissimam con-  
solationem obruunt Pontifices  
trās latis illis testimonijs ad suas  
traditiones, in quibus aliud ge-  
nus doctrinæ comminiscuntur.  
Magnum est autem chaos  
Pontificiarum legum, aliæ pa-  
lam iubent idola coli, ut quæ  
præcipiunt de inuocatione ho-  
minum mortuorum, & statua-  
rum,

rum, & de ἀστολατρεία, aliæ præ-  
cipiunt onera, quæ sine peccato  
sustineri non possunt, ut lex de  
celibatu, aliæ ut de cibis, uiden-  
tur loqui de rebus quarum usus  
suo genere medius est, sed ta-  
men his ritibus etiam errores  
multi admixti sunt.

Perpicuum est autem, illis  
legibus, quæ manifesta idola  
stabiliunt, nequaquæ obtempe-  
randum esse. Idem de secundo  
gradu perpicuum est, sed de  
tertio quærit Gerson ἐπιεικείας,  
nec tamen conscientijs mede-  
tur. Lutherus rectius, qui, ut  
Alexander Gordium nodum,  
uno ictu omnia uincula illarum  
traditionum dissecat, cū docet  
in Euangelio hanc libertatem à  
Deo sancitam esse, nec muta-  
ri posse

B

ri posse

ri posse ulla humana autoritate, uidelicet, ne traditiones ullæ condantur aut recipiantur cum opinione cultus aut necessitatis.

Hoc diuino clypeo munitus non metuit carnificinam, quam Pontifices & Monachi atrociter denunciant.

Sed hic uociferatur Sadoletus, cum fatearis uiolationem legum politicarum peccatum esse, cur de pastorum mandatis aliter sentis? An non reuerentia debetur Ecclesiæ maior etiam quàm imperijs? Responso firma est: Sua utriq; dignitas est, & sua autoritas, Sed metæ quoq; cognoscendę sunt. Et necessaria sapientia est, in utraq; cernere Dei beneficia & uoluntatem Dei, Sic munit ordinem

ordinem politicum Deus, ut adfirmet peccatum esse uiolationem legum politicarum. In Ecclesia uero sancit hanc libertatem, ne ullæ traditiones condantur aut recipiantur cum opinione cultus aut necessitatis, quia uult sciri in Euangelio iusticiam adferri, non simulatas Tragedias gestuum, non ἐθελοθρησκείας, sed æternam, ut nominat Daniel, uult intelligi nos reconciliari & placere Deo fide propter Mediatorem, nõ propter nostra facta aut ullos gestus, uult nos agnoscere, diligi nos in dilecto, quod significantius Græcè dicitur à Paulo, nos esse κεχαριτωμένους ἐν θεῷ ἠγαπημένους, id est, per misericordiam placere propter filium qui natura di-

B 2      ligis

ligitur. Vult intelligi, Deum se  
se nobis cōmunicare, & nos fi  
eri templa Dei, cum filius λόγος  
æterni Patris ostendit Patris  
misericordiam, & effuso in nos  
Spiritu sancto accenduntur in  
uocatio Dei, dilectio, & aliī mo  
tus tales, qualis est ipse Spiritus  
sanctus. Vult sciri Deus, uelle  
se coli, sicut ipse præcepit, non  
ritibus excogitatis nostro con  
silio. Harum maximarum re  
rum doctrina obruitur, cū  
abducuntur oculi & mentes ad  
illa uaria spectacula sacrificio  
rum, ieiuniorum, Platonice  
cōmunicationis & similia. Quo  
enim progreditur humana aus  
dacia, cum fingit cultus? Ma  
ctationes hominum usitatae fu  
erunt omnibus gentib. Omit  
to alia

to alia multa, quæ uerecundè  
dici non possunt. Quare Deus  
nos ad suam uocem reuocat,  
non uult doctores in Ecclesia  
addere alia præcepta aut dog-  
mata, uult etiam intelligi, aliud  
esse imperium politicum, aliud  
ministerium Euangelij, in quo  
efficax est ipse filius Dei λόγος  
in mentibus. Doctores tantum  
sunt organa uocis diuinæ.

Videtis grauissimas cau-  
sas esse, quare neq; condi neq;  
recipi uouos cultus Deus uelit.  
Ac totum hoc discrimen Impe-  
riorum & Euangelici ministe-  
rij conspici maxime necessari-  
um est, quod cum ignoratur,  
sequuntur & fanatica deliria, &  
sediciosi clamores. Vidimus  
multos, qui cum in unum cha-

B 3 OS

os confunderent politicam gu-  
bernationem, & Euangelium,  
reijciebant Romanas leges, &  
dicebant se scripturos esse no-  
uas Euangelio cōgruentes. Hi  
nec officium nec dignitatem  
Magistratum intelligebant,  
quos Deus hac ipsa potestate  
armauit, condendi leges, ratio-  
ni cōgruentes, ad defensionem  
honestæ societatis. At Euange-  
lium de filio Dei, de reconcilia-  
tione, de restitutione uitæ æter-  
næ, & de præsentia Dei in no-  
bis concionatur. Ac ut illi noui  
Lycurgi sediciosas opiniones  
spargunt, ita alij superstitioni  
fingunt perfectiones esse, celi-  
batum, discrimina ciborum, &  
Cynicos mores. Quare cum  
Dei beneficio in hac Schola,  
sæpe



sæpe repeti & illustrari discrimen legum politicarũ & Euangelij audiatis, hanc doctrinam necessariã recte discite, & Deo gratias agite, quòd hanc suam lucem uobis donat, quod munus nit uos contra sediciosas & fanaticas opiniones. Curate etiam, ut utroq; genere recte utamini, amate leges politicas, & reuerenter eis obtemperate, memores huius dicti: Necessè est obedire propter conscientiam. Læti etiam Deo gratias agite, quod in Euangelio ostendit ueros cultus, & libertate sic utamini, ut crescant ueri cultus in pectoribus, cura discendi, inuocatio Dei, dolores propter nostra delicta, consolatio fide accipiens remissionẽ, dilectio Dei

B 4 &

& Ecclesiae, studium concordi-  
diae, castitas, & ceterae uirtutes,  
quae sunt & opera Dei, & testi-  
monia praesentiae Dei in uobis.  
Ac nequaquam existimate li-  
bertatem esse sine freno ruere,  
quo caecae cupiditates impel-  
lunt, uiuere sine cura discendi,  
sine cogitatione de Deo, sine  
inuocatione. Quid minus con-  
gruit ad Euangelicam liberta-  
tem, quam nec scire, nec recitare  
symboli uerba? Talem uero esse  
se multorum negligentiam, sepe  
experimur. Vfus lumē est om-  
nium doctrinarum. Sic igitur  
rectius intelligetis & hanc do-  
ctrinam de discrimine legū po-  
litarum & Euangelij, cum us-  
troque genere recte utemini.  
Quod ut faciamus, te filium  
Dei,

Dei, dominum nostrum Iesum  
Christum custodē Ecclesie, qui  
cum massam nostri generis ad-  
sumferis, & pro nobis factus sis  
victima, ostendis te uerissime  
adfici cura nostri, oro, ut pecto-  
ra nostra gubernes, & facias  
nos uasa misericordie, & orga-  
na salutaria, & nobis & uniuersae  
Ecclesiae. Haec mecū quoque  
precari uos omnes decet, cogi-  
tantes nos tanquam chorum  
apud summū sacerdotem no-  
strum filium Dei stare, peten-  
tem ab aeterno patre, ut aliquas  
reliquias ecclesiae seruet, & qui-  
dem in hoc ipso coetu seruet,  
ubi studia sunt pia ue-  
rae doctrinae.

DIXI.

B s Quæstio

## QVÆSTIO.

**I**Ntuenti mihi in hūc doctissimorum uirorum cœtum, oraꝝ præceptorum, pietate, eruditione, uirtuteꝝ excellentium, profecto oculi terrentur, & animus uehementissime commouetur. Non enim potest uerecundus adolescens inter seniores sine metu dicere. Sed cum uetus & honestissima cōsuetudo Scholarum uobis nota sit, oro, ne meo consilio me, oblitum ætatis & decori, sumpsisse mihi has partes dicendi existimetis, Sed necessitati potius & præceptorum uoluntati obtemperasse. Nam in omni uita mihi non minor laus est uisa, publicis institutis ac legibus parere, quàm eruditione excellere. Quod cum sciam uos quoꝝ uiros optimos & grauissimos sentire, spero uos consilium meum probaturos esse, quod laudatissimæ Scholæ consuetudini obtemperandum

dum esse duxi. Et quanquam in audiendis iuuenibus, ut crescendi copia sit, æquitatem maximam præstatis, tamen ut me potissimum, natura timidum, nullaque eloquentia instructum, patienter audiatis, uos etiam atque etiam oro. Faciam enim, etiam si nouitate argumenti placere non potero, ut propter breuitatem minus ingrata sit oratio. Propono autem Quæstionem de dicto Pauli, quod utilem ac necessariam doctrinam continet: Nemini quicquam debeatis nisi mutuam dilectionem. Hoc insigne dictum, ut pleraque alia in Epistola Pauli ad Romanos, Monachi flagitiose corruperunt, non considerantes de qua obligatione Apostolus loquatur, Imò ne somnare quidem, quid Paulus tandem uellit, potuerunt. Etsi autem hanc Pauli sententiam à Præceptoribus nostris sæpe agitari & explicari auditis, tamen repetitio & illustrat  
eam

eam, & recte sentientes confirmat,  
ut Epictetus inquit: Non facile men-  
tes dogma aliquod firmiter ample-  
cti, nisi quotidie eadem dicant et au-  
diant, & ueras sententias in uita ad  
usum transferant. Ac nos quidem  
in uera Ecclesia Dei, errores refuta-  
re, uerasque sententias tenere præci-  
pue oportet. Porro ad hoc dictum  
Pauli: Nemini quicquam debeatis  
nisi mutuam dilectionem, recte in-  
telligendum, teneatur hæc distinctio  
plena eruditionis de obligationi-  
bus: Alia debentur obligatione na-  
turali, non ciuili, id est, ad quæ præ-  
standa Magistratus suis poenis non  
cogit hominem, ut is, qui affectus est  
beneficio, uicissim debet animi gras-  
titudinem, non obligatione ciuili,  
sed naturali. Hinc etiam Iuricons-  
ulti erudite dixerunt, nos naturalia-  
ter obligari ad ἀντίδωρα. Et quan-  
quam Magistratus non, nisi in pau-  
cis gradibus punit ingratos, tamen  
huius

huius quoque obligationis uel iuris  
naturæ custos & executor esse de-  
bebat. Ideo non crudeliter, sed iuste  
Persæ ingratos ἰχθυῶν puniisse uiden-  
tur, ut Xenophon ait, ac causas  
multas grauissimas, cur Persæ graui  
supplicio in ingratos animaduerte-  
rint, commemorat. Hæc obligatio  
est diuina, iuxta præceptum: Diligas  
proximum tuum sicut te ipsum. Pe-  
riclitanti in aquis debent opitulari  
alii præsentibus, si possunt, Diues præ-  
senti Lazaro debebat opem ferre.  
Hæc multaque alia, liberaliter præsta-  
re debemus, tametsi Magistratus  
non iubet. Sunt enim obligationis  
& iuris naturæ, quia obligatio non  
cessat. Sed alia sunt, quæ debentur  
obligatione ciuili, ut facere externas  
operas imperatas, aut dare res ex-  
ternas, pecuniam aut merces debi-  
tas, quia hac compensatione sublata,  
societatem generis humani dissipari  
necesse est. Cum igitur Paulus in-  
quit,

quit, Nemini quidquam debeatis,  
uult ea prestari, quæ ciuili obligatio-  
ne debentur, ut ita liberemur à ciuili  
obligatione, postquam debita dedi-  
mus aut fecimus. Interea tamen pers-  
petua est obligatio diuina & natu-  
ralis, quæ est perpetua dilectio pro-  
ximi. Eruditissime igitur distinxit  
Paulus obligationem, præcipit, ut  
debita ciuili obligatione præstes-  
mus, & his datis cessat obligatio ci-  
uilis. Ideo dicit: Nemini quidquam  
debeatis, id est, præstate debita ciuili  
obligatione, ita cessat hæc obligatio.  
Sed dilectionem debebitis, id est, ma-  
net semper obligatio naturalis & di-  
uina ad dilectionem in corde, & ad  
multa officia non debita ciuili obli-  
gatione, ut Lazaro non debebat Di-  
ues ciuili obligatione, sed tamen des-  
bebat naturali & diuina obligatio-  
ne dilectionem in corde, & externa  
beneficia, quæ tunc præstare pote-  
rat. Hanc dilectionem deberi proximo  
mo



mo Paulus intelligit, quæ est effectus, qui in conuersis accenditur à Spiritu sancto, hunc effectum debemus proximo, de quo effectum Paulus ad Romanos loquitur, & 1. Cor: 13. Ad hanc dilectionem homo semper obligatus est à Deo, iuxta dictum: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum tuum sicut te ipsum. Sed huius uberissimi amplissimique dicti Paulini: Nemini quidquam debeatis nisi mutuum dilectionem: explicationem largiorem magisque accuratam relinquo Reuerendo et Doctissimo uiro Doctori Georgio Maiori, quæ obnixè oro, ut me atque alios docere, & hanc questionem explanare uelit.

D I X I.

## RESPONSIO.

**N**Vlla est ardentior uox in cœlo & in terra unquam audita, hac uoce filij Dei, in qua orat æternum patrem, ut faciat, ut unum simus in ipso. Nec dubium est, hunc nostrum summum Sacerdotem ab æterno Patre semper hoc petere. Seruat igitur aliquem cœtū, qui tamen est exiguus, quia multi aspernantur hanc precationem, & delectantur dilaceratione Ecclesiæ. Sed in illis cōiunctionem tuetur, qui studium etiam habent concordia, de quo toties præcipit. Sicut & hic uult nos semper debere dilectionem. Est autem elegans Antithesis, cum ait: Nihil debete, & dilectionem debete. Necesse est igitur duplicem obligationem intelligere, quarum altera tollitur, altera est æterna, ac sapienter hæc genera discernunt Iurisperiti, Naturalem obligationem, &   
cuius

ciuilem. Ciuilis est, cum magistratus cogit præstare debitum, & punit nõ præstantem. De hac obligatione inquit: Nihil cuiquam debeatis, id est, seruate leges contractuum, nec sitis fures. Ita sancit uox diuina leges contractuum, & uult Christianos in his ciuilibus officijs iustos, & non uanos, non defraudatores esse. Et res ostendit, uerum esse, quod dicit Herodotus, Eum qui diu debet, multa mentiri. Et quantum impedimentum sit in gubernatione, oberatum esse, ostendit exemplum Atticæ ciuitatis, quæ cum elegisset Ducem peritum & uirtute præstantem, qui nolebat accipere imperium, quia esset oberatus, ciuitas publicè æs alienum pro eo soluit. Vt autem iusticia bonæ conscientiæ seu obedientia in operibus à Deo præceptis necessaria est, de qua dicitur: In præceptis meis ambulate. Item, Scortatores, adulteri, homicidæ non possidebunt

C regnum

regnum Dei, Sic obedientia in hoc  
præcepto, Non furtum facies, neces-  
saria est. Et cum præstitimus quod  
debuimus obligatione civili, iam  
hæc civilis obligatio cessat, & legis  
bus nihil debetur. Sed altera obli-  
gatio naturalis æterna est, qua Deus  
nos ad perpetuam dilectionem ob-  
ligat, quæ debet præstare multa officia  
etiam non debita civili obligati-  
one. Diues debet Lazaro opitulari  
cum possit, etiamsi magistratus non  
punit diuitem omittentem hoc officium.  
Nec cessat hæc obligatio, etiam  
cum Lazaro dedit aliquid, sed  
manet adhuc, quia est obligatio, qua  
Deus semper nos uult sibi obligatos  
esse, quia creatura semper Deo de-  
bet obedientiam. Nec uero debitum  
tantum de pecunia intelligatur, Sed  
de multis officijs alijs, de candore in  
iudicando, de lenitate in admonen-  
do, de sanandis offensionibus, non  
inflammandis. Sed omitto hanc  
longior

longiorem explicationem, & oro fi-  
lium Dei, ut nos gubernet &  
sanet uulnera nostra,

DECANVS COLLEGI  
PHILOSOPHICI IN ACADE-  
mia Vuitebergensi, Barto-  
lemeus Lasan Cyg-  
neus.

**O**stendit terris & in aëre multa sereno,  
Irrita nequaquam signa futura, Deus.  
Signaq; naturæ quæ non imitantia leges  
Portendunt subitum non procul esse ma-  
Vidimus hoc anno rapidū flagrare Cometen, (lū.  
Sulcantem dubias multa per astra uias.  
Quodq; fuit mirum, uicino Sole Cometæ,  
Cum soleant primas arripuisse faces:  
Non prius accensos hic cepit spargere crines,  
Astrorum quàm Dux è regione stetit.  
Æquabat motu phœbus noctemq; diemq;  
Vdaq; purpurei tempora ueris erant.  
Halitus è molli sublatus ad æthera terra,  
Cum rutilæ speciem cepit habere comæ.  
Primum, qua cœli πρὸς τὴν γῆν partē refulget,  
Semina flammæ conspicienda dedit.

C 2

Altius

Altius Arcturi mox ad fastigia pergit,  
 Sub rapido nullas dum facit axe moras.  
 Deniq; sicca super Cynosura sidera uectus  
 Occupat Arctoæ signa suprema plage.  
 Inde gradum retro facit, & quæ noster Horizon  
 Astra capit, cursu proximior legiti.  
 Ac simul Auroram petit Eoumq; cubile,  
 Phœbus anhelantes unde reducit equos.  
 Hic subit Iasiden, & quæ te trans uada ponti  
 Aërium Æolide carpere fecit iter.  
 Candida cornigeri Phœbus iam limina Tauri  
 Nec modo Phryxæ uellus habebat ouis.  
 Protinus illius uestigia trita Cometes  
 Arripit, & Soli sidera iuncta tenet.  
 Hoc iter errantis multi uidere Cometa,  
 Qui fera Teutonicis damna minatur agris.  
 Sunt anni decies octo, quo tempore uixit  
 Dux qui Burgundas Carolus auxit opes:  
 Tunc in suprema similis regione Cometes  
 Aëris, horrifico miscuit igne comam.  
 Is motu simili sese per inane uolutans,  
 Per mensus cœli climata multa fuit.  
 Astræ primum tenuit confinia Libræ,  
 Arctoi petijt culmina deinde poli.  
 Sed remeans illinc, medium qua circulus orbem  
 Diuidit, astrigeram lumine textit ouem.  
 „ Nulla ætas uidit flagrantem impune Cometen,

NON

Ἰδὲς κομήτης ὅς τις ἔχει  
 τὸν ὄψον

Non leue uenturum nunciat ille malum.  
Tunc quoq; crebra tulit summis incommoda reg=  
    Ciuiles motus, publica damna tulit:      (nis  
Quippe secuturas strages tristesq; ruinas,  
    Atq; tuæ retulit Carole signa necis.  
Proxima uix ea post incendia uenerat æstas,  
    Carolus Heluetico cesus ab hoste cadit.  
Tu quoq; Tisiphone mundi, tu dirus alastor,  
    Pestis & immensi fax Mahomete mali,  
Paulò post fugiens cecidisti Hydrunte relictæ,  
    Tandem blasphemos opprimit ira Dei.  
Nūc quoq; blasphemos tanget Turcosq; Papamq;  
    Adproperans Nemesis iudiciumq; Dei.  
Et segetes passim siccis morientur in herbis,  
    Et fient multis arida membra fame.  
Sed quæramus opem diuinitus, atq; precemur  
    Æterno gnatum de genitore λόγος.  
Filius æterni λόγος & effigiesq; parentis,  
    Assiduus custos agminis ipse sui,  
Defendet sanctos inter mala plurima mundi,  
    Qui mitem toto corde precantur opem.  
Cura sit interea uitam coluisse modestam  
    Omnibus, & uerbi discere iura sacri.  
Dent etiam solito nobis sua nomina more,  
    Censuram studij qui subiisse uolunt.  
Non labor his decrit noster, nec amica uoluntas,  
    Semper & ingenijs officiosa bonis.

DECANVS COLLEGII  
PHILOSOPHICI BAR=  
tolemeus Lafan Cygneus.

**S**eruat Deus genus humanum, ut inde eter=  
nam Ecclesiam colligat, & hanc non aliter,  
nisi uoce doctrinae colligit, quam per Prophe=  
tas & Apostolos mandari literis uoluit. Hos igitur, cum legi & recte intelligi uelit, necessaria esse studia docentium et discipulorum manifestum est, quod cum ita sit, letemur nos esse in militia Deo grata, in qua dux est ipse filius Dei λόγος aeterni patris, qui semper adest uoci doctrinae, & hac consolatione nos erigamus, ne studia literarum abijciamus, quae magnae difficultates & aerumnae comitantur. Seruiamus Deo & Ecclesiae, & ducem nostrum Dominum Iesum Christum fortiter sequamur. Pertinent autem ad doctrinarum conseruationem exercitia in Scholis prudenter instituta, ac praecipue examina. Hodie igitur, quod faustum et foelix sit, hora prima, Deo iuuante, publice explorabitur eruditio eorum, qui nunc testimonio nostro ornandi sunt. Ad hanc explorationem, ut Collegae nostri, & alij docti uiri conueniant, petimus. Quid est honestius & dulcius eruditorum congressibus? in quibus sine odijs & placide de rebus magnis differitur, & ueritas illustratur,  
& con=



et confirmantur in animis uerae sententiae et  
multae magnae uirtutes. Et quae alia propior est  
imago coelestis Academiae, quam haec placida ue-  
ritatis inquisitio, quam scimus Deo gratam esse,  
et uere λογικὴν λατρείαν? Haec tantae causae  
moueant quam plurimos, ut libenter intersint his  
colloquijs. Die Laurentij Anno 1556.

DECANVS COLLEGII  
PHILOSOPHICI BAR-  
tolemeus Lasan Cygneus.

**S**Citis Solem peruenire ad sidus quod Virgi-  
nem uetustas nominat, quam interpretati  
sunt Astream ac Iusticiam. Fortassis pater  
Astræus, et filia docuerunt aliquid de astris, et  
de uirtutibus. Sed nota est descriptio uetus, Astre-  
am pulsam ex urbibus, postea diu docuisse exiguos  
coetus in agris. Nec obscura est allegoria. Mul-  
tum est pro dolor ubiq; scelerum, ut dixit Poeta:  
Omnia fanda, nefanda malo permista furore.

Sed tamen adhuc concionatur Iusticia, uel po-  
tius sol Iusticiae filius Dei λόγος ἡ εἰκὼν αἰ-  
δίου αἰδίου πατρὸς, in uera Ecclesia, quae est  
exigua, et uariè quassatur. Cum igitur Dei bene-  
ficio nos quoq; simus pars uerae Ecclesiae Dei,  
grati agnoscamus nos ad hanc societatem et do-  
ctrinae


Arina cognitionem uocatos esse, & precemur ipa  
sum solem Iusticie Dominum nostrum Iesum  
Christum, ut nos doceat & gubernet, & studiose  
necessariam doctrinam discamus. Cum igitur  
cras, Deo iuuante, publico testimonio gradus Ma-  
gisterij Philosophici hos, quoru ascripta sunt no-  
mina, ornaturi simus, petimus, ut conueniatis, &  
ut fauere uos his studijs uideamus, & ut nobiscum  
uota faciatis, ut Deus inter nos clementer seruet  
Ecclesie sue reliquias, nec sinat extinguere lucem  
doctrinae, ac sit iam ardentior inuocatio, quia in  
uicina Pannonia magni sunt utrinq; exercitus, ubi  
nisi Deus represserit Turcos, haud dubie proce-  
dent in Germaniam, sicut narrant ipsi, Bohe-  
miam se inuasuros esse, ut ad Albim arcem belli  
habeant, unde uastationes in utraq; ripa fa-  
cere possint. Sed precamur filium Dei  
custodem Ecclesie sue, ut nos  
protegat.



Fi 2144

(+ 227 27-10)

von ME -



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

3. 2  
ATIO  
SCRIMINE  
POLITICA  
RADITIONVM,  
clesia ab homis  
conduntur.  
S  
ATA A DE  
LLEGGII PH  
gistro Bartolemao  
o, cum decerneretur  
gisterij aliquot eru  
uiris Anno  
556.  
BERGÆ  
CINA HAERE  
GEORGII  
HA VV.  
D. LVI.  
nytophon Lucas Jo  
Hierony: Kummunis  
38

